

plerisque Scholasticis, qui licet futuram esse oculorum classificationem, fateantur, non tamen tantam esse contendunt, ut ipsa DEI essentia per naturæ suæ speciem, in altera etiam vita, corporeis oculis percipi queat, ideoque dicta allegata de visione mentis seu pleniori notitia DEI exponunt.

XCIX.

Et sane non contemnendæ pro negativa rationes alle- *Rationes*
gari possunt. *pro negati-*

1. *Nullus* Spiritus cadit sub sensum corporis: *At vero* *ut*.
DEUS est Spiritus, & quidem immensus, æternus ac infinitus. *Non* igitur cadit sub sensum corporis, & per consequens, *nec* sub visum.

2. *Nulla* potentia potest ferri extra suum objectum. *Sed* objectum visus corporalis est visibile corporeum, DEUS autem est incorporeus. *Quare* visus corporalis in DEUM nequit ferri.

3. Visionis objectum color est (teste *Philosopho* l. 2. de anima § 66. qui definitur *extremitas perspicui in corpore terminato*, vel *qualitas ex lucido & opaco congregatis exurgens*). DEO autem non convenit color, quia corpus non est. Ergo in numero των οργητων collocari nequit. Has rationes urget Thomas part. 1. quæst. 12. & Gregorius de Valentia disput. 1. quæst. 13. punc. 8.

C.

Nos breviter respondemus, *vel* *queri* de visionis corporalnis certitudine; *vel* de ejusdem possibilitate. Si quis certò seire velit, *qualis* *futura* *est* *Dei* *visio* *in* *altera* *vita*, respondemus ad morem Augustini: *Non liquet*. Quia enim in cogitationes hominis nondum ascenderunt, quæ Deus præparavit fidelibus suis; Hinc temerarium videtur, si quis ipsum visionis beatæ modum præcisè determinare & rigorosè defendere ausit. Neque dicta superiùs posita id evin- cunt, cùm Jobus de visione Christi Redemptoris loquatur, & secundum humanitatem accipi possint: Cetera vero dicta de visione mentali, sine absurditate queant intelligi. Quod si autem de *possibilitate* quæratur, *num* *per* *absolutam* *Dei* *poten-*
tiam,